



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Leodivm Ecclesiae Cathedralis**

**Rausinus, Stephanus**

**Namvrçi, 1639**

Occasio Operis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11818**



# OCCASIO

## OPERIS

**Æ** Quo animo audienda sunt imperitorum con-  
uicia, & ad honesta tendenti contemnendus est  
iste contemptus: monitum est Romani sapien-  
tis. Præuideo statim futuros qui primo aspectu  
clamitabunt, quod istud scenæ genus, quis pugnae, aut ve-  
litationis habitus? qui nuper delegationis suæ Viennensis  
ad Aulam Cæsaream pro Leodio susceptæ, quandam spe-  
ciem quasi perennaturam, luci dedit, vorsi hodie gladiis,  
& mutatis clypeis aduersus Leodicensia iura digladiatu-  
rus in arenam descendit? Itanè Patroclus Achillem, &  
Ephestion Alexandrum sub vtriusque armis mentitur?  
aut, quod deterrimum, transfugam desertis ciuium signis,  
vel causa prodita præuaricatorem agit? An fortè Timage-  
nem historicum imitaturus, qui quos de rebus Octauij  
Augusti historiarum libros conscripserat, repentè iratus  
& offensus concremauit, velut busto illo chartaceo testa-  
tus falsa esse, quæ largiore calamo exarasset! Quibus mox  
velim inculcatum illud veridicum. Corrigit præsentem  
lapsus prioris, ac de repræhensione antecedentis exem-  
pli nascitur emendatio. Dies diei magister est: labor la-  
borem, vt vnda vndam repercutit. Nisi peracti muneris

A

ratio

rationem redditurus, summam delegationis optima fide,  
 & impigra sedulitate nauatæ, typis mandari tunc permi-  
 siffem, non haberet de nouo inuidia quod carperet. Cum  
 hominibus lippi oculi simillimis negotium mihi interce-  
 dere videtur: si non est, nolis esse, neque desideres: si est,  
 abstinere quin attingas, non queas. Superfedeam: scriptis  
 anterioribus infidiantur, & præterita dextra, quam pre-  
 hendere debebant, ausa, læuam prehensant. Stilum su-  
 mam, abstentum oportuisse blaterant. Quid cum istis  
 agas qui neque ius neque bonum, atque æquum sciunt,  
 melius, peius, profit, obfit, nihil vident, nisi quod lubet.  
 Quos si veritatis commonefacere postules, nihilo plus  
 efficias, quam si des operam, vt cum ratione insanias.  
 Bacchis bacchantibus (vt æui sui lautities Plautus in-  
 quit) si quis velit aduersarier, ex insanis insaniores fa-  
 ciet, sin obsequatur, vna resoluet plaga. Vociferentur  
 itaque dum rectam insistemus viam, quam erronibus  
 (si quando delirandi satietas ceperit) sumus præmon-  
 straturi, seu saltem allucinatos, & per prauam industriam  
 eos scripta nostra contorfisse, præsens, & postera ætas  
 persentiscat. Non longis logis, nec perplexa ambage, vl-  
 lius animum suspendam. Anno supra millesimum & sex-  
 centesimum vicesimo octauo, Consulatu apud Eburones  
 functus, in quos Augustissimus Cæsar plura Mandato-  
 rum pœnalia fulmina vibrarat, incepta iam & crescen-  
 te executione, cum cæteri Consulares, arduam sanè &  
 perlaboriosam Prouinciam detrectarēt, Tribuum precibus  
 & rogatu, priuatam quietem publicis posthabens com-  
 modis, suscepi, iniui, & intra menses vndecim foeliciter  
 expleui. Quam in operam, nactus in supremo Camerae  
 Spiren-

Spirensis Prætorio, nouendiali mora, quam continuo annorum aliquot spacio speciales deputati incassum uiserant, inspectionem processuum; allegationum & controuersiarum inibi existentium epitomem compendiosam in excelsissimo Senatu Aulico protuli, adductis pro captu rationibus, quas pro tantis locorum interuallis, in maxima librorum & annalium inopia, interdum memoria fuggerit, aut dictauit ingenium. Referendam reuerso gratiam conscia recti mens spondebat apprimè: & ne ipsa quidem ingratitude humanum sortita pectus abnuisset: lapidibus, opificum instrumentis, famosis carminibus, diurnisque nocturnisque insultibus, & ad extremum numerosa cōadunatorum armatorum cohorte extra intraque proprios lares multoties appetitus. Quodque aërem haurio cælitum est, non mortalium pignus. Non minùs verè quam scitè Themistocles, plerosque Græciæ Proceres comparari platanis potuisse, ad quas sæuiente tempestate viatores confugiunt, sereniore verò cœlo non deserunt tantum, sed ramorum aut frondium armillis caput aut corpus ornant. Magnis, inquires, te solari potes exemplis. Miltiadem Athenienses gemellis celeberrimum victorijs, quas sorores appellare solebat, trecentis Persarum millibus ad Marathonem cæsis, in carcere mori, & ne insepultus Canibus data præda marinis, abijceretur, Cimona pium filium paternas induere catenas, Themistoclem seruatae & restauratae vrbsi authorem ad Xerxem confugere, Socratem & Phocionem Cicutam bibere, Solonem & Aristidem non minùs, quam Thesea secundum à Cecrope conditorem, fati residuum in exilio transigere compulerunt. Quum interim Oedipodis ossa

4.  
cæde patris, nuptijs matris contaminata inter ipsum  
Areopagum diuini humanique certaminis venerabile do-  
miculum, honore aræ decorata quasi sacrosancta colue-  
rint. Ad eò aliena mala suis interdum bonis apud cæcum  
& instabile vulgus sunt gratiora. In Lycurgum Lacedæ-  
monij æquè iniurij, quem lapidibus crebris laceffitum, &  
altero oculo fustibus excussò orbatum, moribus suis eli-  
gere exilium secessionis obtentu cõegerunt. Vt in con-  
fertissima Romanorum virorum Principum multitudine  
omittam duo fulmina belli Scipiadas, quorum ille Afri-  
canus superior, Linturni vico exiguo inter palustres lacus  
exul, alter Asiaticus fraterna etiam oneratus inuidia spon-  
taneo exilium præueniens secessu, multam, & popula-  
ris ignominia notam (si notam virtuti plebis improbitas  
inureret) non euasit. Inferior verò Africanus idemque  
Numantinus in intimis domus suæ penitralibus Romæ,  
inultus est extinctus. An eò fit, quod beneficia eò vs-  
que lata sunt, dum videntur exsolui posse, vbi mul-  
tum anteuenerit, pro gratia odium redditur? Enimue-  
rò ijdem Athenienses Timagoram Legatum quod Per-  
sico ritu Darium regem salutasset crudelissimè neca-  
runt. Carthaginenses Amilcarem cognomento Rhoda-  
num virum solertia facundiaque præter ceteros præ-  
cellentem, Iustino teste, quem ad Alexandrum Magnum  
toti orbi imminentem delegarant, in patriam reducem,  
foedè interemerunt. Et de ijs id etiam decantatur. Quod  
cum sæpiùs improsperè aduersus Romanos pugnassent,  
impetratoque à Lacedæmonijs Xantippo duce, illius au-  
spicijs & ductu Attilium Regulum cum triginta Roma-  
norum militum millibus debellassent, ne victoria gloria  
penes

5.  
penes alienigenam esset, multis tamen palam affectum  
muneribus in oceano noctu demerserint. Sed premo vo-  
cem, & intempestivis parco querelis, quæ tum demum  
gratæ apparebunt, cum feræ erunt. Id huiusce loci & ma-  
teriæ est. Experior verum illud. Nil probat calumniator,  
criminatur omnia. Delegationis Compendiolum liuidis  
Caucasæ Deæ oculis intuiti in varias versant partes. Ad-  
mordent omnes, & vbique viperinorum relinquunt vesti-  
gia dentium. En censores ingenuos. Alij tanquam præcu-  
pidi & studiosi auri iuris obtrectant quod plus æquo Cæ-  
sari & Imperio in Leodienses indulserim, dum Leodium  
esse Imperij membrum, & Leodienses Cæsaris subditos  
fortissimis eluctor argumentis. Piaculum & nefas clamant,  
ausi dictitare insignem irrogari iniuriam, quam Vulcanus  
solus queat expiare. Et vix abfuit à flammis. Quidam in al-  
teram partem palmam obtinent: & cantharidum è rosis  
virus elicientium instar, contendunt ademisse me Principi  
iurisdictionem, & authoritatem Principalem, sola Episco-  
pali & spirituali penes illum agnita. Non quod iniuriam  
dolerent Principi factam, aut illius Iura & Regalia, quæ  
remis & velis prosequuntur, integra & illæsa velint, sed ut  
velum aliquod suis vsurpationibus apponant corio cir-  
cumtectum alieno. Per plures pro sua libidine contorque-  
re non interpretari scripta, & inde perniciosissimas ef-  
formare conclusiones. Nunc omnimodam ab indictioni-  
bus & vectigalibus necessarijs immunitatem præfari;  
nunc Comitiorum successus ex vnius solius contradic-  
tione pendere, parum valente suffragiorum pluralitate:  
modò alia id genus commenta impudentissima, & Rei-  
publicæ damnosissima comminisci, & ut fucum imperi-  
tionibus

tioribus faciant, frontemque insolentiùs perficient, in  
authorem horum dogmatum me accersere.

Fateor rabidos maledicarum linguarum morsus huc  
vsque spretos, ferrem adhuc, more leonis qui ad puillo-  
rum canum latratus nec iubas quidem concutit: memor  
illiùs Sciti

*Isthic est thesaurus stultis in lingua situs  
Ut quæstui habeant malè loqui de melioribus.*

Nec oblitus Horatianum istud,

*Falsus honor iuuat, & mendax infamia terret  
Quem nisi mendosum, & mendacem?*

At posteaquàm mecum reputo non iam causam meam  
verti, verùm, Dei, Ecclesiæ, Principis, publici boni, audio  
monentem Tullium, Iniuriam non repulsare cum possis,  
iniustitiam esse. Sit qui fontes publicos inficiat, aut alueo  
quo eos fluere oportet, auertat, qui facienti conuiuet, cul-  
pam in se admittit. Sicarius sub vmbone meo latet, aut  
corpus meum interponit quò securiùs incautum inno-  
centem enecet, ne patiar, vetant Leges. Nec sinunt aliena  
suis prædijs, aut sua alienis insignia imponi. Imò demus  
clientem, qui patroni Responfa prauè in obliquos trahit  
sensus & ex iure iniustum componit, etsi Pythagorico  
adiuratus foret aduocatus silentio, nemo sentiet elinguem  
esse posse. Certè Imperator rescripsit, Aduocatos iufiu-  
randum subire, quod nullam iniustam causam suscipient  
& si quam decepti mendacijs suorum clientum suscepis-  
sent, eam deserent quàm primum iniustam cognouerint.

*Amplius,*

Amplius, Doctore licitum esse consilium suum in melius reformare, passim in Athenæis & Musæis traditur: & hinc euenit vt Bartolus priorem aliquando sententiam mutauerit, & crebrius illo, non indignus præceptore, Baldus. Pari fundamento Diuus Augustinus omnium scientiarum cumulatissimus aceruus Retractationum libros sine rubore composuit. Iuuat Iustinianum ipsum Legislatorem desuper audire gloriantem: Non erubescimus si quid melius his quæ ipsi prius diximus adinueniamus hoc sancire, & prioribus imponere correctionem, nec ab alijs expectare corrigi legem. Quanquam delegati, non autem Aduocati officium hîc exercui, delegantium propositiones in Camerali iudicio exhibitas repetiisse contentus, nihil quoad substantiam addens, aut vltra ornatum, & suadelam è meo affuens. Noxa caret, qui aliorum verba, aut scripta citrà calumniandi animum refert. Quin expers culpæ non est orator, qui commissa dicere prætermittit, æquè defectu ac excessu delinquens. Interpret rerum ab iplo exponendarum formula, & vinculis obstringitur, quæ si abrumpat, fidem soluit. Exemplum prototypo, copiam exemplari, imaginem corpori congruere conuenit. Fatuus sit qui speculum mendacij arguat, quod larua opposita laruæ effigiem reddit. Non speculi ea fallacia est, sed laruati personatique hominis. Agite tamen. Num quisquam vicio tribuit Apelli, quod depingens Antigonom coclitem, altero illum latere tantùm ostendit, vt amissi oculi deformitas lateret! Num Phidiæ diem diceremus, qui eburneum Olympij Iouis simulacrum inter Græciæ admiranda enumeratum sedentis specie fecit, Vulcanum itidem sedentem repræsentasset, ea scilicet corporis constitutione, quæ  
pedis



pedis claudicantis notam dissimularet? Pauci æmulantur Galbam Imperatoris Sergij patrem gibberum antiqui moris virum, qui à Liuia Ocelliana diuite admodum & pulchra maritus appetitus, viciū antea corporis posita veste detexit, ne quasi ignaram fallere videretur. Cæterum ingenuè fateor & cœlum testor, si delegationis aut euulgationis tempore innotuisset falsitas, aut crassa inuersione similitudo eorum de quibus pro parte Leodiensium Spiræ tot annis spissigradissimè, & pulmoneis, minùsque quàm testudineis pedibus disceptatur, nunquàm in animum induxissim ea in Senatu Cæsareo reproducere, ijsve velut stabilibus, at reuera fragilissimis fulcris, inniti. Venia facilè credulitati dabitur. Lite Spirensi sum longè ætate inferior: & aduenam, non ciuem me volunt. Ad Consulatum, nec candidatus, nec petens, absque ambitu prouectus, in natas & adultas diu controuersias incidi, quarum tunc non alium quàm ex difficultatibus ipsis succum attrahere potui. Viam qui nescit quâ deueniat ad mare, Eum oportet anem quærere comitem sibi. Litis Spirensis delibatio in delegationis accinctu, pro amne quæsito & reperto fuit, vnde in errorum oceanum erat prouolabi. Maximè quod Spiræ non licuit videre præter allegata vtrimque exhibita: instrumentatis & viuæ vocis probationibus, adhuc occlusis & illinc intracodices octo, hinc intra nouem volumina, sigillata omnia latentibus: inque fundandam litispendentia exceptionem, punctorum inibi vertentium notitia & indicatio sufficeret. Subaudio infufurrantem detractorem. Quæ igitur, inquit, Ariadne filum neuit, aut dedit, quo te tortuosus & implicatis labyrinthi mæandris expedires? quæ

Sibilla

9.  
Sibilla ramum ostendit, quo per cæcæ noctis tenebras in  
Elysijs veritatis campos, peruenires? Tu filum, tu ramus,  
maleuole interpretator. Dum enim plus sapere œdipo,  
qui sphynghi interpretis fuit, gesticularis, & tanquam Æsopi  
afinus è puteo recens egressus, nescis nisi rudere iura, pri-  
uilegia, libertates, & omnium omnia iura, priuilegia &  
libertates radicitus conuellere, & cariosam tuam carinam  
ad Scriptionis meæ anchoram detinere, subiit me cupido  
reuifendi à me scripta, inque adyta sacrorum, quæ existi-  
mas, penetrandi. At Deus bone, vereor dum Palladis de-  
positum apud nouem sorores præstantissimum reor do-  
num perscrutari, vt Aglauron, & portentum quoddam  
indipiscar. Antidotum ergo ex venenorum tuorum mix-  
tione conficiam: efficiamque vt liber iste, quo omnes in  
authore, & authorem in omnibus vulneras, fiat Pelias hasta  
omnibus, & auctori ipsi. Legisse memini, Plinium Iunio-  
rem dicere, nullum librum aded esse malum, ex quo non  
aliquid boni, possit erui. Et Philippum Macedonem assi-  
duis decem oratorum Atheniensium declamationibus in  
foro proscissum & laceratum, iisdem gratias agere solitum  
accepimus, quod illis quasi pædagogis ob oculos proposi-  
tis, ita quotidianæ vitæ modum temperaturus esset, vt me-  
lior in dies euaderet, & feroces illos linguæ grassatores,  
sycophantiæ re ipsa cõargueret.

B

LIBER

